

misit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi. Et veniunt in domum archisynagogi: & vidit tumultum, & stentes, & ejulantes multum, & ingressus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et iridebant eum. Ipse vero eiecit omnibus, assumit patrem & matrem puella, & qui secum erant: & ingrediuntur ubi puella erat jacens: & tenens manum puella, ait illi: Tabita cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno. Et praecepit illis vehementer, ut nemo id sciret: & dixit dari illi manducare. Id est, post resurrectionem. Fimbriam tangit, ac si cymbala & mala punicum, quae pendunt de extremis oris tunicae summi sacerdotis. Cymbalum, confessionem: malum punicum, martyrii voluntatem, & virtutum candorem, sive unitatem significat. Ad puellam dicitur: Tabita cumi, id est, puella surge. Archisynagogo dicitur: Filia tua mortua est. Jesus autem dixit: Non est mortua, sed dormit. Utrumque est: mortua est vobis, mihi dormit. Annorum duodecim erat puella, & annis duodecim erat mulier perpessa. Peccata non credentium, apparent in initio fidei credentium. Unde dicitur: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

Caput VI.

Et egressus inde, abiit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui. Et facta sabbato caput in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, audentes: Unde huic haec omnia? Et quae est sapientia quae data est illi, & virtutes tales quae per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariae, frater Jacobi, & Joseph, & Jude, & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt: Et scandalizabantur in illo. Et dicebat illis Jesus: Deinde iens in patriam suam, filius fabri, Jesus vocatur. Et hoc mythicè: sed fabri, qui fabricatus est auroram & solem, id est, Ecclesiam primam & sequentem: in quarum figura, mulier & puella sanantur.

Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi virtutem ullam facere: nisi paucos infirmos impositis manibus curavit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum: & circuibat castella in circuitu, docens. Et convocavit duodecim, & cepit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. Et praecepit illis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona es, sed calciatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeat inde. Et quicumque non receperint vos, neque audierint vos: excutite inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes praedicabant ut penitentiam agerent: & demonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos aegros, & sanabantur. Comitatur saepe vilitas originem, ut est: quis est filius Isai? Sed humilia Dominus respicit, & alta à longè cognoscit. Mittuntur deinde duodecim Apostoli, & datur eis potestas praecipua docendi: ut comite verbum simul & factum: & cum promissis invisibilibus, visibilibus virtutes micent: & cum ungebant oleo aegros, infirmitatem fidei virtute corroborant.

Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. Atque autem dicebant, quia Elias est: alii vero dicebant, quia propheta est, quasi unus ex prophetis. Lucernam sub modio abscondi fas non est.

Quo audito Herodes, ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit. Ipse enim Herodes misit ac tenuit Joannem: & vinxit eum in carcerem, propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui: quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum, & custodiebat eum: & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui convivium fecit principibus, & tribunis, & primis Galilaeae. Cumque introisset filia ipsius Herodias, & saltasset, & placasset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puella: Pete à me quod vis, & dabo

tibi. Et juravit illi: quia quicquid petieris, dabo tibi: licet dimidium regni mei. Quae cum exisset dixit matri suae: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptista. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petiit, dicens: Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptista. Et contristatus est rex propter jusjurandum: & propter simul recumbentes noluit eam contristare: sed misit spiculatorem, praecepit afferri caput ejus in disco, & dedit illud puella, & puella dedit matri suae. Quo audito, discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & posuerunt illud in monumento. Per Ironiam expressè pronunciat Herodes pellicens. Caput legis, quod est Christus, de corpore absconditur proprio, id est, Judaico populo, & datur gentili puellae, id est, Romanae Ecclesiae: & puella dat matri suae adulterae, id est, synagoga creditur in fine. Corpus Joannis sepelitur, caput in disco collocatur, litera humo tegitur spiritus in altari honoratur ac sumitur.

Et convenientes Apostoli ad Jesum, renunciaverunt ei omnia quae egerant & docuerant. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur. Deo semper gratias referunt missi quod acceperant.

Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum. Et hoc propriè Marcus. Seorsum ducit quos elegit, ut inter malos viventes, mala non intendant: ut Lot in Sodomis, & Job in terra Hùs, & Abdias in domo Achab.

Et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi. Et nec spatium manducandi habebant. Et ascendentes in navim abierunt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi, & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & praevenerunt eos. Et exiens vidit turbam multam festum: & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem. Et cepit illos docere multa. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicens: Desertus est locus hic: & jam hora praeteriit, dimitte illos, ut euntes in proximam villam, & vicus, emant sibi cibos quos manducant. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Et dixit eis: Quot panes habetis? Itaque & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. Et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes, secundum contubernia super viride saxum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos. Et accepit quinque panibus & duobus piscibus, intuens in caelum benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos. Et duos pisces divisit omnibus: & manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et susceperunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui manducaverunt: quinque millia virorum. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

Et cum dimisset eos, abiit in montem orare. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra: & videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis. Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans super mare, & volebat praeterire eos. At illi ut viderunt eum ambulantem super mare, putaverunt phantasma esse: & exclamaverunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcaecatum. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. Cuique egressi essent de navis, continuo cognoverunt eum: & percurrerunt universam regionem illam, caperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse: & quocumque introibat in vicus, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos: & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Ut aves in ramis sinapis. Pusilla hic sanctis requies, longus labor. Sed postea dicitur illis, ut requiescant à laboribus suis. Erant enim qui veniebant, & redibant multi: nec manducandi spatium habebant in arca Noè: & animalia quae intus erant foris nitebantur: & quae foris erant, intro erumpebant. Sic nimirum agitur in Ecclesia: Judas recessit, laetro accessit. Quam diu receditur à fide, nec Ecclesiae requies est, sine mœrore. Rachel plorans filios suos, noluit consolari. Non est hic convivium, in quo bibitur vinum novum. Quando cantabitur canticum novum in caelo novo, & in terra nova, ab hominibus novis? Cum mortale hoc induerit immortalita-

tem, cum quinque panibus & duobus piscibus, quinque millia hominum vespera vita pascentur: & duodecim cophini octava virtute pleni fragmentis colliguntur, cum sedent super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Qui sunt fragmenta? Abraham, Isaac, & Jacob: quando reliquiae salvae sunt ex Israel? quando facie ad faciem videbimus, quod in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis scriptum legitimus de Christo. Unde post quartam vigiliam noctis, compefit Jesus timorem maris, ambulans super illud, & dicit: Confidite, ego sum: quia videbimus eum sicuti est. Tunc cessavit ventus: & procella Jesu sedente, id est, regnante in navis: quae est universalis Ecclesia. Sequitur: Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. Quando fugiet dolor & gemitus.

Caput VII.

Et convenienter ad eum Pharisei, & quidam de scribis venientes ab Ierosolymis. Et cum viderent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Pharisei autem & omnes Iudei nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. Et à foro venientes nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare: baptizata calicum, & urceorum, & aramentorum, & leforum. Et interrogabant eum Pharisei, & Scribae: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum: sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens, dixit eis: Bene prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & praecepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei tenentis traditionem hominum: baptizata urceorum, & calicum: & alia similia his faciitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum faciitis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Moyses enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri corban, quod est donum quodcumque ex me tibi proderit: & ultra non dimittitis eum quocumque facere patri suo aut matri, relinquentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidit. Et similia hujusmodi multa faciitis. Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes & intelligite: nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coquinare: sed quae de homine procedunt, illa sunt quae coquinaunt hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam, dicebat illis: Sic & vos imprudentes estis. Non intelligitis: quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coquinare: quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem, & in secessum exit, purgans omnes ejus. Dicebat autem: quoniam quae de homine exeunt, illa coquinaunt hominem. Ab intus enim de corde hominum male cogitationes procedunt: adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia haec mala ab intus procedunt, & coquinaunt hominem. Et inde surgens, abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire: & non potuit latere. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit & procidit ad pedes ejus. Erat enim mulier gentilis Syrophoenissa genere: & rogabat eum, ut demonium ejiceret de filia ejus. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios. Non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa respondit, & dicit illi: Uti que Domine, nam & canelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit demonium à filia tua. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & demonium exiisse. Phariseorum superfluum latratum, furca rationis obtundit, id est, Moysi & Isaiae increpatione: ut nos advertebant haerese verbis scripturae vincamus. Videntes discipulos non lotis manibus manducare, quod futurum gentium communionem significat. Munditia & baptismum Pharisaicum sterile est. Communicatio non lota Apostolica, extendit palmites suos usque ad mare: quod culpa majus est. Traditio autem Pharisaica in mensis & puris vasis non est tractanda: sed abscondenda & radenda. Saepè enim traditionibus hominum, mandata Dei cedunt. Post hoc fi-

gnum, mulier Syrophoenissa, cujus filia spiritum immundum habebat, intrans procidit ad pedes ejus. Erat enim gentilis mulier: rogat pro filia, quae est mater nostra, Romana Ecclesia: & nata daemoniaca, barbarica est Occidentalis natio: cujus fides fecit de cane ovem: micas spiritualis intellectus, non panem fractum litera sumere cupit. Fidelis, prudens & humilis meretur quod possit.

Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. Et hic propriè narrat Marcus decimam virtutem. Tyrus interpretatur angustia, significans Judaeam, cui Dominus dicit: Coangustatum est stratum, breve est pallium, utrumque opere non potest: ut transferat se ad gentes alias. Sidon vero venatio interpretatur, quae fera indomitaque nostra natio est, & venit ad mare Galilaeae, quod fructuosa volubilitas est: inter medios fines Decapoleos, quod interpretatur decalogi mandata. Salvator ad salvandas gentes ab Apostolis ducitur: qui interroganti se adolescenti quid faceret, respondit: Nosti mandata?

Et adducunt ei surdum & mutum. Genus humanum per multa membra, ac si unus homo varia peste absumptus enumeratur: in protoplasto caecatur, dum videt. Surdus fit, cum audit: dum odoratur, emungitur: obmutescit, dum loquitur: mancus fit, dum manum extendit: incurvatur, dum erigitur: hydropticus fit, dum concupiscit: claudus fit, dum progreditur: lepra suffunditur, dum nudatur: demone impletur, dum divinitatem appetit: morte moritur, dum audacter excusat quod inobedienter commisit.

Et deprecatur eum, ut imponat illi manum. Incarnatum fore Dominum, multi iusti & Patriarcha cupiebant & optabant.

Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculum ejus. Seorsum semper turbulentis cogitationibus, & actibus inordinatis, sermonibusque incompositis ducitur, qui sanari meretur. Digni qui in aures ejus mittuntur, verba spiritus sunt, de quo dicitur: Digitus Dei hic est. Et: Opera digitorum tuorum sunt caeli.

Et expuens tetigit linguam ejus. Spuma de carne Domini, est divina sapientia: quae solum vinculum laborum humani generis: ut dicat, Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.

Et suspiciens in caelum ingenuis. Id est, nos gemere docuit, & in caelum thesaurum cordis nostri erigere: quod per gemitum compunctionis intimae, frivola laceritia carnis purgatur, ut dicitur: Rugiebat à gemitu cordis mei.

Et ait illi: Epheta, quod est adaperire. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

Et statim aperta sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguae ejus, & loquebatur rectè. Aperta sunt aures ejus ad hymnos, & cantica, & psalmos: solvitur lingua, ut eructet verbum bonum, quod non possunt minae nec verbera cohibere, ut ait Apostolus Paulus: Ego vincatus, sed non est alligatum in me verbum Dei.

Et praecepit illis, ne cui dicerent. Non in virtutibus gloriandum esse docuit: sed in cruce, & in humiliatione.

Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant: & eo amplius admirabantur, dicens: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Civitas in monte posita undique circumspècta, abscondi non potest: humilitas semper praecedit gloriam.

Caput VIII.

In diebus illis, iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent: convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducarent: & si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Quidam enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et praecepit turba discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit: & dabat discipulis suis, ut apponerent. Et apposuerunt turba: & habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & jussit apponi. Et manducaverunt, & satu-

rati sunt. Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia, & dimisit eos. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha: & exierunt Pharisei, & caperunt conquirere eum eo, quarentes ab illo signum de celo, tentantes eum. Et ingemiscens spiritu ait: Quid generatio ista signum quarit? Amen dico vobis, si dabitur generationi ista signum, et dimittens eos ascendens iterum navim, abiit trans fretum. Et oblii sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi. Et precipiebat eis, dicens: Videte & cavete à fermento Phariseorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum dicentes: quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Iesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cacatum habetis cor vestrum: oculos habentes, non videtis: & aures habentes, non auditis. Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia: & quot copiosos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? Et veniunt Bethsaida, & adducunt ei cacum. Undecima virtute septem panes, quatuor jejunis millibus franguntur: & pauci pisciculi benedicuntur: & de fragmentis septem sporte plenè sustolluntur. Septem panes, dona sunt septem Spiritus sancti. Quatuor millia, annus est novi Testamenti cum quatuor temporibus. Septem sporte, primæ septem Ecclesiæ. Fragmenta panum, mystici intellectus primæ septimanæ sunt. Pisciculi benedicti, libri sunt novi Testamenti: quoniam piscis affi partem Dominus resurgens postulat: & piscem superpositum prunis, discipulis in captura piscium porrigit. Post hæc veniunt Bethsaida, quæ domus vallis interpretatur: quæ est alia nisi mundus, qui est vallis lachrymarum? Adducunt duo decima virtute, cacum qui non videt, nec ante nec retro, id est, qui fuit, qui est, qui erit.

Et rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci. Quis est qui tangitur, nisi qui compungitur: Et apprehendit manum cæci, ut lamentationem de cæcitate cordis sui agat deflens, ut Jeremias everfionem civitatis Dei: hoc est, animæ suæ.

Eduxit eum extra vicum: & exprensus in oculos ejus, impositis manibus suis interrogavit eum si quid videret. Id est, vicinitatem malorum. Corruptum enim mores bonos colloquia mala. Et exprensus in oculos ejus, ut videat voluntatem Domini per flatum Spiritus sancti: impositis manibus, interrogabat eum si aliquid videret. Per opera Domini videt majestatem ejus. A magnitudine enim creaturæ, creator agnoscitur.

Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impositis manibus super oculos ejus, & cepit videre: & restitutus est, ita ut clarè videret omnia: & misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam. Id est, omnes homines existimans superiores sibi: indignum se judicans, ut David vocari hominem, & canem mortuum, & pulicem unum. Iterum manus posuit super oculos ejus, ut videret clarè omnia, id est, per opera visibilia, invisibilia intelligeret, & quæ oculus non vidit: & claræ animæ suæ statum, post rubiginem peccati, mundi cordis oculo contueretur. Beati enim mundo corde: quoniam ipsi Deum vident. Et misit eum in domum suam, ut videret in se quod ante non vidit. Non enim putat homo desperans de salute omnino posse, quid facile illuminatus per spem potest perficere. Et dicit ei:

Et si in vicum introieris, nemini dixeris. Et egressus est Iesus & discipuli ejus in castella Cesaræ Philippi, & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam: alii Eliam, alii verò quosdam de Prophetis. Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Id est, vicinis cæcitate tuam semper enarra, non virtutem: ut ait Paulus: Qui fui blasphemus, & persecutus sum Ecclesiam Dei.

Et cepit docere eos, quoniam oportet filium hominis multa pati: & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere: & palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cepit increpare eum. Qui conversus, & videns discipulos suos,

comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdat eam: qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum. & detrimentum anima sua faciat? Aut quid homo commutationis dabit pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundet eum cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Sicut gubernator peritus tempestatem in tranquillitate præcavens, nautas paratos vult esse suos. Unde Dominus: Si quis vult post me sequi, denegat semetipsum: id est, alter ex altero efficiatur. Post confirmationem crucis, gloria resurrectionis ostenditur. Unde & sequitur tertia decima virtute.

Caput IX.

Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et post dies sex, assumpsit Iesus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ducit illos in montem excelsum secretum solus: & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta ejus facta sunt splendida & candida nimis velut nix: equalis fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moysi: Et erant loquentes cum Iesu. Et respondens Petrus, ait Iesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Elia unum. Non enim sciebat quid diceret. Erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus, audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt nisi Iesum tantum secum. Et descendentes illis de monte, præcepit illis, ne cui quæ vidissent, narrarent, nisi cum filius hominis à mortuis resurrexerit. Post dies lex in monte excelso transfiguratus est coram discipulis suis: ne timerent opprobria crucis, qui viderant oculis suis gloriam futuræ resurrectionis.

Et verbum continuerunt apud se, conquirentes, quid esset eum à mortuis resurrexerit. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisei & Scriba, quia Eliam oportet venire primum? Qui respondens ait illis: Elias cum venerit, primo resurget omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contematur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo. Hoc proprie Marci: id est, cum abfcripta fuerit mors in victoria, non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor: cum abfulerit Dominus sor-des filie Sion, auferens omnem lachrymam ab omni facie sanctorum.

Et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confessum omnis populus videns Iesum, stupefactus est, & expaverunt: & accurrentes salutabant eum. Non est homini requies sub sole. Semper parvulos occidit invidia: magnos percutiunt fulgura montes. Alii dicentes cum fide: alii invidentes cum fastu, ad Ecclesiam conveniunt. Et populus videns eum, stupefactus est: & expaverunt. Non est timor in charitate. Timor enim est servorum, stupefecit stultorum.

Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? Et respondens unus de turba, dixit: Magister, atuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arefcit. Et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dicit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos pariat? Asserte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans, & interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? Quod scit Dominus, rogat, ut confessio pariat salutem: & murmur cordis nostri, sermonibus solvatur piis, ut est illud: Dic tu iniquitates tuas prius, ut justificeris. Postea quarta decima virtute unus de turba assertit filium spiritum habentem immundum & reliquas. Quem non poterant discipuli curare; Salvator curavit. Infidelitas utrorumque impeditur salutem. Spiritus

discerpit spumantem, & stridentem, & arefcientem. Peccator spumat invidia, stulticia: stridet iracundia, arefcit ignavia. Discerpit eum spiritus appropinquans ad salutem, quod est esca dilecta, quos in ventrem suum trahere desiderat, per terrores & damna: ut fecit in Job. Interrogat Iesus tempus.

At ille ait: Hic significatur gentilis populus, cui à nativitate increvit cultus inutilis idolorum: ut stultè immolare filios suos demoniis. Unde sequitur:

Ab infantia: & frequenter eum in ignem & aquas misit, ut eum perderet. Sed si quis potes, adjuvanos, miserus nostri. Alii enim de gentibus ignem venerabantur, alii aquam.

Iesus autem ait illi: Si potes credere. Libertatem hic arbitrii indicat.

Omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Quæ sunt omnia, nisi quæ in nomine Iesu, id est, salutis postulantur cum lachrymis: Pater pueri aiebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Credulitas nostra ut rostrata lingua infirma est, nisi in xina subsistat robori adjutorii Dei. Fides cum lachrymis, optata vota capit: ut est: Fiat tibi secundam fidem tuam.

Et cum vidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi. Dehinc Marcus proprie narrat. Mina Domini, potentia ejus est.

Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi. Spiritui impunitat Deos, quod homini diabolus præstat: dum ille nunquam audiret nec loqueretur: quod peccator penitus audit & loquitur.

Exi ab eo, & amplius ne introcas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo. Exiit ab homine, nunquam revertitur, si cor suum clavis seraverit humilitatis, & charitatis: & ostium obtinuerit homo unitatis. Unde Propheta dicit: Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitionum, ut salvum me facias.

Et factus est sicut mortuus: ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Iesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit. Sanatis etenim dicitur, Mortui estis, & vita vestra abfcondita est cum Christo in Deo. Unde infirmitas Christianorum non est mors, sed mortis similitudo.

Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio. Et inde profecti prætergredebantur Galileam: nec volebat quomodo scire. Dicebat autem discipulos suos, & dicebat illis: quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur: & occisus, tertia die resurget. At illi ignorabant verbum, & timebant eum interrogare. Stulticia ad luxuriam carnis pertinet: & jejunio sanatur & oratione. Ira & ignavia oratione depellitur. Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculus, quod calcaneo adhibetur. Jejunio, passionis corporis: & oratione peites sanande sunt mentis.

Et venerunt Capharnaum. Capharnaum, villa consolationis. Congruit interpretatio prædictæ sententiæ, qua dicit: Et occisus, tertia die resurget. Granum frumenti moritur, ut multiplicius colligatur: si non moritur solum manet.

Qui cum domi essent interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset. Et residens vocavit duodecim, & ait illis: Siquis vult primus esse, erit omnium novissimus: & omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum. Quem cum complexus esset, ait illis: Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit: sed eum qui me misit. Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem demonia: qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo enim qui facit virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aque in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur. Et

si scandalizaverit te manus tua, abfconde illum. In via enim tractabant de principatu: similis tractatio loco, Principatus namque ut ingreditur, sic deserit: & quamdiu tenetur, labitur: & incertum est in qua mansione, id est, in qua die finiatur. Unde dicit: Qui vult esse primus, ut puer sit minister.

Bonum est tibi debilem introire in vitam. Id est, sine cupido principatu.

Quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem. Duæ manus, principatus sunt & superbia. Abfconde superbiam, tenens humilem principatum.

Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum. Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Vermis, est conscientia fera. Ignis, pena inconsummata. Unde per Prophetam dicitur: Ambulare in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis.

Omnis enim igne salietur. Mirè dictum est: Quod enim sale conditur, vermis putredinem arceat. Quod verò, id est, asperso sale carnem quæque consumit: hoc secundum legem in hostiis fiebat, quæ in altari cremabantur. Unde in omni victima & sacrificio, sal offerri præceptum est. Sal, dulcedo sapientiæ: & ignis Spiritus sancti gratia. Omnis ignis salietur, quia omnis electus sapientia conditur, ut digna victima Dei altaribus efficiatur. Unde bene addit:

Et omnis victima sale salietur. Ille enim verè victima Domini est, qui corpus & animam à vitis emundando Deo per amorem Spiritus sancti consecrat, nec sale aspergitur, sed igne consumitur: quando non peccati tantum contagio pellitur, sed & præsentis vite delectatio tollitur: & futuræ conversationi tota mente suspiratur. Unde, nostra conversatio in caelis est. Et, obsecro per misericordiam Dei, ut exhibeat corpora vestra &c. Altare Dei, est cor bonorum: hostiæ & sacrificia, bona opera fidelium. In omnibus sacrificiis sal, quia nullum opus bonum sine sapientia. Ignis sacrificia in altare consumit: de quo ipse nos baptizavit Spiritu sancto & igne. Ignis tribulationes respicit: hoc ad superiora, ubi scandalizantia membra evelli præcepta sunt: quia & hoc est igne saliri, tentationibus exerceri, ob Christi amorem dilectos & proximos nobis abnegare. Omnis enim victima salietur. Victima Domini est genus humanum, quod hic ratione sapientiæ salitur: dum corruptio sanguinis custodia putredinis, id est, mater vermium conlumitur: & illic purgatorio igne examinatur.

Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis: Sal insulsum, qui amat principatum, qui increpare non audeat & confiteri, ne de synagoga ejiciatur: diligens gloriam hominum magis quam Dei.

Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Salsitudinem correctionis, amor proximi temperet, & dilectionem proximi sal justitiæ condit. Et in domo iterum discipuli ejus interrogabant eum de eodem. Et hoc proprie: in iterata scientia verbi non fastidium, sed esuriam & sitim præstat: ut est illud sapientiæ: Qui me comedunt, adhuc esurient: & qui me bibunt, adhuc sitient. Melliflua sapientiæ eloquia gustata diligentius, multimodum saporem reddunt. Quando pluit Dominus manna ad manducandum sub sole liquefcens ut cera, reddens mollita dicta, ut est illud: Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum. Ad ignem duratur: ut, Pannis, cor hominis confirmans. Ad aspera, ut est: Si quis vult post me venire, abneget seipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Caput X.

Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: & conveniunt iterum turba ad eum: & sicut consueverat, iterum docebat illos. Et accedentes Pharisei interrogabant eum: si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses?